

SERMO II

De variis modis quibus nos Deus illuminat.

1. Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum (Isa. LX, 1). Hodiernum diem luminum illuminavit nobis et consecravit lumen de lumine, quod hodie cum lateret incognitum, ad illuminationem omnium gentium sese dignatum est mundo revelare. Hodie namque se revelavit Chaldaeis novi sideris indicio, cum eorum primitiis omnium fidem gentium dedicavit. Hodie se revelavit Judæis, non solum Joannis, sed et Patris et Spiritus sancti testimonio, ubi in Jordane baptizatus, baptisma omnium consecravit. Hodie manifestavit gloriam suam coram discipulis suis, quando mutatione aquæ in vinum, illud ineffabile præostendit mysterium, in quo, verbo ipsius, substantiæ mutantur rerum. His omnibus Dei apparitionibus prævidens Spiritus illuminandam Ecclesiæ fidem, alloquitur eam sub typo et nomine Jerusalem, dicens: Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum. Venerat quidem lumen; in mundo erat, et mundus per ipsum factus erat; sed mundus ipsum non cognoscebat. Erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista. Ait ergo propheta: O Jerusalem nova, civitas magna novi regis, mons Sion, latera aquilonis (Psal. XLVII, 3), id est, de utroque ædificanda pariete circumcissionis et præputii; Surge, illuminare, quia venit lumen tuum. Surgite, qui sedetis in tenebris; intendite lumini, quod exortum est in tenebris, sed non comprehenditur a tenebris. Accedite ad eum, et illuminamini (Psal. XXXIII, 6), et in lumine ejus videbitis lumen, diceturque vobis, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (Ephes. v, 8). Intendite lumini æterno quod se vestris aspectibus temperavit, ut, qui lucem habitat inaccessibilem, infirmis quoque et lippientibus oculis posset accedi. Advertite lumen in lucerna testæ, solem in nube, Deum in homine, in luteo vasculo carnis nostræ splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ.

2. Latet quidem majestas in humanitate, virtus in humilitate; sed signa virtutum erumpentia, unde hæc prodeant, non sinunt ambigere. Opera, inquit, quæ ego facio, testimonium perhibent de me (Joan. x, 25). Magnum quidem testimonium Joannis, qui venit ut testimonium perhiberet, lucerna de lumine; at enim multo majus illud testimonium cœleste, quod Pater et Spiritus sanctus Filio perhibuere (Luc. III, 16, 21, 22), Pater, in voce, Spiritus, in specie, cum in ore duorum testium stet omne verbum. Sed et hoc ipsum si minus accipitur: Opera, inquit, innumerabilia et irrefragabilia, quæ ego facio, testimonium perhibent de me (Joan. x, 25). Plane incorruptus et irrevincibilis testis, cum creatura insensibilis sensum quemdam accipit in confessionem Creatoris, voluntatem ejus exaudiens, ac nutui incunctanter obediens. Quid enim divinius poterat exhiberi sensibus mortalium, quam hodiernæ novitatis signum, quod etiam ante signorum suo-

rum præmisit Jesus initium? Vagit puer novus in terris, et sidus novum creat in supernis, ut lumen testetur de lumine, stella de sole, et reges in splendore ortus sui, ad exortum quoque æternum splendorem, ab oriente ad verum Orientem, id est, virum cui nomen Oriens (Zach. vi, 12), stella perducatur; non quasi stella, sed quasi rationale animal in via præcedens, in fine viæ consistens, ac velut digito ipsum qui quærebatur ostendens. Sed esto, calumnietur infidelis hanc stellam non esse opus Christi, dummodo confiteatur opus esse Patris in testimonium Filii. Attamen obruet eum multitudo infinita ac magnitudo mirabilium plane divinorum, quæ absque contradictione Jesu noster operatus est in carne, sed non ex carne.

3. Sed operiant tenebræ terram, et caligo populos, qui, cum lux venit in mundum, dilexerunt magis tenebras quam lucem (Joan. III, 10); dummodo tu illumineris, Jerusalem, civitas cœlestis, quæ in omni terra et populo, Deo paritura es filios lucis, quos de potestate tenebrarum transferet in regnum claritatis suæ lumen verum. Gratias tibi, Pater luminum, qui de tenebris nos vocasti in admirabile lumen tuum (I Petr. II, 9). Gratias tibi, qui dixisti de tenebris lumen splendescere, et illuxisti in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ in facie Christi Jesu (II Cor. IV, 6). Hæc siquidem est lux vera, imo vita æterna, ut cognoscamus te unum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Cognoscimus te, quia cognoscimus Jesum, quoniam Pater et Filius unum (Joan. XVII, 23, 41). Cognoscimus quidem per fidem, ipsam tenentes arrham fidelem, quia cognoscemus te per speciem. Interim tamen auge nobis fidem, deducens nos ex fide in fidem, a claritate in claritatem, tanquam a tuo Spiritu, ut de die in diem thesauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, scientia plenior, charitas ferventior fiat et diffusior, donec per fidem perducamur ad faciem, tanquam per stellam præducem ad nostrum Bethlehemiticum ducem, qui egressus de Bethlehem regit Israel, et regnat in Jerusalem; non ista quæ occidit prophetas, ipsumque Dominum prophetarum, sed illa in qua coronat occisos idem Dominus, causa, virtus, et gloria martyrum.

4. O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cernentium in illa Jerusalem regnantem, quem in Bethlehem adoraverunt vagientem! Hic visus est in diversorio pauperum, ibi in palatio videtur Angelorum: hic in pannis parvulorum, ibi in splendoribus sanctorum; hic in gremio Matris, ibi in solio Patris. Plane digna beatorum fides Magorum, ut tam felici visione remuneretur: quæ cum in eo nihil nisi infirmum et contemptibile videret; non tamen scandalizari potuit, quominus Deum in homine, et hominem in Deo veneretur. Procul dubio stella ex Jacob illuxerat in cordibus eorum; stella, inquam, matutina, Lucifer qui nescit occasum, qui etiam foris stellam, matutini ortus sui indicem, ac-

cederat in cordibus eorum. De his omnino convenienter intelligi potest quod apud Salomonem scriptum est: Justorum semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem (Prov. IV, 18). Primo namque semitam justitiæ ingressi sunt ad lucem splendidis sideris, cujus ductu profecerunt ad videndum novum ortum matutinae, lucis sicque demum pervenerunt ad contemplandam faciem meridiani Solis, in die virtutis suæ rutilantis.

5. Pulchre igitur signanterque in his Gentium primitiis, in his nascentis Ecclesiæ primordiis, præostensus est fidei profectus in singulis: unde scilicet incipiat, quomodo proficiat, et quo demum perveniat; ut facile ipsorum qui patres sunt, in filiis agnoscantur vestigia. Sicut illi cœperunt a visione sideris, profecerunt ad visionem pueri, pervenerunt ad visionem Dei, sic in nobis fides nascitur supernorum prædicationum luminarium; roboratur visione quarundam imaginum, per speculum et in ænigmate Deum velut incarnatum nobis exhibentium; consummabitur, cum præsens et nuda videbitur veritas rerum facie ad faciem contemplantibus quod vix tenuiter et raptim in ænigmate nunc attingitur; cum et ipsa fides transibit in cognitionem, spes in possessionem, desiderium in fruitionem. Lucent namque et nobis stellæ, non una, sed multæ; nisi quia multæ una, quarum scilicet cor unum est, et anima una, fides eadem, prædicatione consona, similisque vita. Quæ sint hæc stellæ, si dubitas, Daniele interroga: Qui ad justitiam, inquit, erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (Dan. XII, 3). Paulus etiam luminaria vocat eos, qui lucent in medio nationis prave et perversæ (Philipp. II, 15), continentque verbum vitæ, tanquam splendorem mutuatum ab æterna luce, quo et noctem hujus mundi jussi sunt illuminare. Ideo Dominus fons et origo lucis, cum ordinaret lunam et stellas in potestatem noctis, dicebat illis, Vos estis lux mundi: et iterum, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (Matth. v, 14, 16). Lucent itaque verbo, lucent exemplo, et utroque lucis radio ortum æternæ lucis annuntiant, dum cœlestem, quæra voce prædicant, etiam cœlestis vitæ similitudine commendant.

6. Suspicite, fratres, in cœlum; in cœlo siquidem est conversatio eorum; suspicite, et intendite mentis oculos, si necdum potestis in rotam solis, saltem in fulgorem siderum; admiramini splendorem sanctorum, imitamini fidem, æmulamini sanctitatem. Stellæ istæ sicut flamma coruscant, et lumen luminum ortum demonstrant; ducunt ad cunabula novi Regis, ad cubiculum Virginis matris, quod est inviolabile fidei mysterium; imo perducent in templum Regis, in sanctuarium Dei Patris; quod est incogitabile fidei præmium. Interim autem, dum idonei non sumus, sapientiam Dei, quæ in mysterio

abscondita est, scrutari, vel majestatem quæ in præmium reposita est, contemplari; contenti simus sanctorum claritatem mirari, sanctitatem imitari. Fili, inquit, concupisti sapientiam? serva mandata; et Dominus præbebit tibi illam (Eccli. I, 33). Altiora autem te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit Dominus tibi, ipsa conserva semper (Eccli. III, 22). Præceptum namque Domini lucidum, illuminans oculos (Psal. XVIII, 9), quibus postmodum ipsam corpus luminis valeas intueri, cum in luce radiorum, id est, in opere mandatorum, versari consueveris. Dulce quidem lumen, ut ait Salomon, et delectabile oculis videre solem (Eccli. XI, 7). Dulce prorsus et delectabile, sed illis quibus tolerabile. Sanos oculos fovet, infirmos torquet. Et quis est tam sano et acuto visu, ut in aspectu illius invisibilis. Solis non cæcietur? quis ille scrutator majestatis, qui non opprimatur a gloria? Mirabilis facta est, o Domine, claritas tua, tum ex se, tum etiam ex me; quia confortata est adversum me, dum acies mea infirmata est in me, et jam non potero ad eam, sicut poteram in Adam. Potero forsitan ad claritatem siderum, qui non possum ad solem ipsum, et per hanc quandoque confortabor ad illum.

7. Eia, surge, illuminare, anima mea, quæ sedebas in tenebris suspice luminaria cœli, leva oculos tuos in montes unde veniet auxilium tibi, si veneris ad illum qui habitat in cœlis, id est, in montibus ipsis. A montibus, inquam, veniet auxilium tibi, quia lux tibi inaccessibilis illuminat mirabiliter a montibus æternis. Susceperunt montes lucem populo, a quibus ad valles camposque descendat subjectos. Hoc itaque, dico, fratres, optimum est, nostræque infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eo qui illuminati sunt. Rectissima via est inveniendi Jesum, si præcedentium patrum sequamur lumen prævium. Semita justis recta est, rectus callis justis ad ambulandum (Isa. XXVI, 7). Qui justum sequitur non ambulat in tenebris; non modo videbit, sed habebit lumen vitæ. Videbit ad consolationem præsentis vitæ: habebit in possessionem hæreditatis æternæ. Pietas nempe promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ. Exerceamur ad pietatem, et neutro nos fraudabit qui se ultro nobis fecit debitorem (I Tim. IV, 8, 7, 9). Exerceamur in operibus lucis, et qui abscondit lucem in manibus suis, annuntians de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere (Job. XXXVI, 32, 33), nunc aliquando in solatium operis eam nobis demonstrabit, et postmodum in præmium dabit, ipse lux nostra Jesus Christus qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Quibus gradibus ad sapientiæ lumen perveniat.

1. Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum (Isa. LX, 1). Benedictum lumen quod venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis;

de ejus munere etiam dies iste, dies sanctificatus de illuminatione Ecclesiae illuxit nobis. Gratias tibi, lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, quae ad hoc ipsum venisti homo in hunc mundum. Illuminata est Jerusalem mater nostra, mater omnium qui illuminari meruerunt: adeo, ut jam luceat omnibus qui in mundo sunt. Gratias tibi, lux vera, quae lucerna es facta, ut Jerusalem illuminares, et lucerna pedibus meis. Verbum Dei fieret. Gratias, inquam, tibi, quoniam ipsa Jerusalem illuminata **939** facta est lucerna, ut luceat omnibus qui sunt in domo magni patris familias. Non solum enim illuminata est, sed exaltata, et super candelabrum illud totum aureum sita est; civitas super montem montium, illa quondam derelicta et odio habita, posita est in superbiam saeculorum, ut tam longe lateque fulgeat ejus Evangelium quam longe lateque mundi vigeat imperium. Et si opertum est ejus Evangelium, in his qui pereunt opertum est (*II Cor. IV, 3*), in quibus Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis gloria Ecclesiae Christi. Quibus tamen non fulget ut videant, fulget ut invideant, et Ecclesiae torquentur gloria, qui ipsius illuminari nolunt gratia. Verum Ecclesia nec propter gloriam qua floret, superbiens, nec gratiam qua pollet, invidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat, dicens: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus, illumina tenebras meas (Psal. XVII, 29)*. Mei forsitan sunt, quia praedestinati: sed adhuc tenebrae sunt, quia nondum vocati aut justificati. Voca et ipsos in admirabile lumen tuum, et praedicabunt tecum admirabile nomen tuum. Quanquam justus quisque ac sanctus in Ecclesia ita se illuminatum gaudeat, ut adhuc se non minima ex parte tenebrorum videat et doleat; et ideo necessario, cum illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quanto namque amplius lucerna ejus illuminata fuerit, tanto verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaveris, quod in Evangelio Veritas ait: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit (Matth. VI, 22 et Luc. XI, 34)*. Non enim, quia ex oculo sinceræ intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideo consequens est ut statim omnes tenebrae ignorantiarum nostrarum illuminatae sint. Is nempe modus est adhuc illuminationis nostrae, ut in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, et scire quid desit sibi. Inde est quod et apud sapientes hujus mundi, qui magis sobrie disputaverunt de scientia, primus, numeratur gradus scientiae, scire quod nescias.

2. Fratres, omnes vos filii lucis estis, et filii Dei. Non sumus noctis, neque tenebrarum. Nox enim praecessit, dies autem appropinquavit (*Rom. XIII, 12*). Etsi fuimus aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino (*Ephes. V, 8*). Verumtamen si, quoniam non su-

mus tenebrae nec filii tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarum, nos ipsos seducimus, et tenebras mortis, quae illuminari non mereantur, nobis inducimus. Quid enim, ait Lux mundi, quae in iudicium venit in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant? *Quia, inquit, dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet (Joan. X, 41)*. Video quantum tunc, quoniam tu illuminas lucernam meam, o Domine, sed, quia parum est quod video, Deus meus, illumina tenebras meas (*Psal. XVII, 29*). Videmus ut multum per speculum et in aenigmate; sed multum longe est hoc ipsum a claritate vera claraque veritate, quae videbitur in facie. Ideo forsitan caecus, quem apud Marcum Dominus illuminare coeperat, homines quasi arbores ambulantes videbat (*Marc. VIII, 22-24*), quia videlicet non nisi per speculum et in aenigmate videbat; sed secundo imponens manum restituit eum, ita ut videret clare omnia; quod in nobis fiet, cum nos reficiet, et sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quam coepit prima, restituens nos in claritate perfecta.

3. Sed hoc ipsum per speculum et in aenigmate, cui, aut quando, vel quandiu potest contingere? Quam misericorditer tecum ageret, quam feliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere ac dicere: *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, et non potui ut viderem! (Psal. XXXIX, 13)*. Nam delicta quis intelligit (*Psal. XVIII, 13*), quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi vere angelus tenebrarum transfigurans se in angelum lucis? Magnus utique, multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit et voluit; nam neque et dolosus potuit, et noluit intelligere, ut bene ageret (*Psal. XXXV, 4*). Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur: Ecce venit Dominus, et illuminabit oculos servorum suorum. Ecce venisti, o lumen meum, illumina oculos meos, ne unquam **940** obdormiam in morte, ne peccatum ad mortem oculos nostros aliqua delectatione claudat, et ad consensum illiciat, aut, velut Isboseth, dormientem inveniens transfodiat (*II Reg. IV, 7*). Venisti, o lumen fidelium omnium, et ecce hodie de illuminatione verae fidei, id est, lucernae nostrae, dedisti nobis gaudere; da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quae residuae sunt, semper in Domino gaudere. Dedisti lumen verae fidei, da et lumen verae justitiae, da lumen divinae scientiae, da etiam et divinae sapientiae.

4. His profecto gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi esse puto, o anima fidelis, quo, fallacis mundi hujus tenebris exuta, pervenias ad patriam claritatis aeternae, ubi tenebrae tuae erunt sicut clara meridies, et nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum (*Isa. LX, 5*), quando replebitur divina majestate incircumscripti luminis omnis terra, et gloria ejus in te videbitur. Domus Jacob, venite, ambulemus in lumine Domini (*Id. II,*

3): ut veri filii lucis ambulemus de claritate in claritatem, tanquam praeulente Domini Spiritu, ut per singulos gradus virtutum regnum claritatis ulterius invadamus. Qui igitur jam per fidem sumus in lumine, ex ea et per eam in amplius et serenius in lumine progrediamur, primo justitiae, dein scientiae, demumque sapientiae. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per justitiam, post intelligendum per scientiam, ac postremo contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte hujus saeculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis, quae de nocte surrexit, et, de nocte ac die operans manibus suis, panem otiosa non comedit, *Non exstinguetur, inquit, in nocte lucerna ejus (Prov. XXXI, 18)*, id est, non deficiet in tentatione fides ejus. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed exstinguitur cum fiunt. Qui enim male agit, odit lucem (*Joan. III, 20*). Ideoque exstinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei; non est timor Dei ante oculos ejus, et de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumque absentia blanditur sibi, dicens: *Quis me videt? Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius (Eccli. XXIII, 26, 27)*. Bona vero opera, etsi aliquando propter vanitatem declinandam in abscondito fiunt, ad lucem tamen internam et aeternam, id est sub iudicio fidei et testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt; lucernae utique ardentes in manibus operantium, et exspectantium adventum sponsi, qui educet quasi lumen justitiam tuam ad conspectum hominum et angelorum, et, sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta, ut Deum in te, et te in Deo clarificent omnium iudicia.

5. Quanta vero claritate justitia resplendeat etiam in praesenti, quanta luce laetificet conscientiam justis, familiarius et suavius conscientiae vestrae testimonium vos docebit. Saepae autem et fides radiat, et justitia coruseat, et adhuc tamen intellectus caligat, ut mysterium fidei, quod velut involutum tenens veneratur, explicare nesciat; signatus sit ei liber Scripturae, quasi litteras nesciat; sed nec ad discretionem boni et mali, veri et falsi sensus exercitatos habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans justitia, scientia fere nulla. Quod tamen ad lumen justitiae accedere oporteat lumen scientiae, docet sermo prophetae, qui, cum praemisisset: *Seminare vobis ad justitiam, ut ostenderet quas interim primitias colligamus de hoc semine, subjunxit: Illuminate vobis lumen scientiae (Osee. X, 12)*. Sic et Apostolus ait: *Fructificantes in opere bono, et crescentes in scientia Dei (Coloss. I, 10)*. Tu quoque, David, sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, quomodo super senes intellexisti? *Quia mandata, inquit, quae sivi-*

A mandatis prorsus intellexi, quia intellectus bonus omnibus facientibus timorem Domini. Nam et unctio docens de omnibus, sciens nimirum quo ordine quidque apud eam discendum sit, prius docet *bonitatem et disciplinam*, et postmodum *scientiam*: si tamen qui docendus est, primo omnium crediderit, **941** id est, elementa exordii sermonum justitiae didicerit. Ideo ille discipulus unctiois tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat: *Bonitatem, inquit, et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi (Psal. CXVIII, 100, 66)*. Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidem non fictam; jam, quod sequitur, doce justitiam, id est bonitatem et disciplinam, ut sic demum provehat ad sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, jam justifica per bonitatem amoris, et disciplinam casti timoris, ut post magnifices munere scientiae spiritualis. *Quos autem vocavit, hos et justificavit; et quos justificavit illos et magnificavit (Rom. VIII, 30)*.

6. Sciendum sane quod, cum sit haec scientia sanctorum, non tamen omnes sancti docentur eam, sed illi duntaxat in quibus nec industria gratiam, nec gratia destituit industriam; sed utrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, ut et docibilis sit homo discipulus, et spiritus adsit doctor sedulus. Cum autem varia charismata contineat haec scientia, Spiritus tamen moderator non in unum facile confert omnia, sed dividit singulis prout vult, alii notitiam mysteriorum, alii intellectum Scripturarum, alii interpretationem sermonum, alii discretionem spirituum, alii illam, quae pernecessaria est, velut in gustu dignoscantiam, atque dijudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt, inquit, et non occident in universo sancto monte meo; quia repleta est terra scientia Domini (Isai. XI, 9)*.

7. Jam vero si quis post haec et per haec tria, fidem, justitiam atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem et gustum aeternorum, ut possit vacare et videre, videndoque gustare quam suavis Dominus; et quod oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, ei per Spiritum reveletur: hunc omnino dixerim illuminatum magnifice et gloriose, tanquam qui gloriam Domini revelata facie speculetur, et super quem gloria Domini saepius oriatur. Huic utique dicere habet non propheta, sed prophetarum Spiritus: *Surge, illumina, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est (Id. LX, 1)*. Fratres, non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat. Non condemnatur qui non capit: sed qui non cupit, utique teporis arguitur. Qui autem cupit, noverit quia hoc lumen sapientiae fervens accendit oratio, sicut et lumen scientiae frequens lectio; si tamen cum legis, lucernam ardentem adhibueris, id est justitiam operum, piorumque experientiam sensuum. Tu autem, Domine, Pater luminum, qui lumen de te lumine unicum tuum mi-

sisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum pervenire ad lumen aeternum, ut placeamus coram te in lumine viventium, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO IV.

De nova nostra nativitate et vita.

1. Secunda nobis hodie, fratres, nativitas celebratur, quae de illa prima nativitate, tanquam de causa effectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem, quam usque hodie celebravimus, nativitas Christi est; ista, quam hodie celebramus, nativitas nostra est. In illa namque Christus natus est, in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quae nos faciunt christianos, fides, Baptismus, et altaris participatio, hodierna dies fidem nobis initiavit, Baptisma consecravit, ac mensae caelestis miracula praeformavit. Quomodo sane prima gentium illuminatio fidem nobis initiaverit, quomodo Christus baptizatus Baptisma nostrum consecraverit, qualiter illa conversio aquae in vinum, mutationem rerum in convivio mensae Dominicae praestenderit, nequaquam jam opus est ut doceamus: sed illud arbitror operae pretium, ut nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis a suis degeneret initiis, ne vacuetur in nobis gratia Baptismatis, ne cedat nobis in iudicium participatio calicis Christi.

2. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis, primis videlicet auctoribus suis, nobis hodie tradita sit; qualiter **912** maximum fidei sacramentum mysticis insinuaverint munerum figuris, satis abundeque disserere patres nostri, ut ex ea parte nullus jam alius labor quam in labores eorum introire nobis resederit. Sed neque magnopere postulat status, imo ruina temporis hujus, ut de mysterio fidei disputetur sed ut magis id modis omnibus elaboretur ut, sicut Apostolus ait, in conscientia pura idem fidei mysterium habeatur (*I Tim. III, 9*). Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes fere invenies christianissimos; si conscientias discutias, paucos admodum invenies vere christianos. Totus fere mundus confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat (*Tit. I, 16*); adeo ut et qui speciem pietatis videntur habere, virtutem ejus saepius inveniuntur propemodum abnegare. Quid putatis autem, fratres mei quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spatiosam viam saeculi ambulant, intelligitis, quid illi vel de sola praerunt pietatis specie, qui nomine solo christiani, atque in vacuum assumptis nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quae huic inimica sunt nomini; qui omni specie conversationis et modo vitae, se protestantur inimicos crucis Christi? Haecine est speciem pietatis quam in eis videmus. habitus et incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, et omnis illa vitae contumelia, quae publice et gloriabunde, velut in faciem pietati irrogatur? Quae enim in occulto

ab ipsis fiunt, turpe est et dicere (*Ephes. v, 12*). Fodiat parietem eorum qui ad ipsos missus est propheta, ut adhuc majores abominationes videat, quas non erubescunt aut verentur coram illa tremenda majestate perpetrare. Quid enim mihi, qui monachus videor, de his qui extra hoc monasterium sunt judicare? Utinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset judicare. Ad me ipsum namque conturbata est anima mea, dum scilicet vereor ne haec ipsa species pietatis, quam utique vobiscum gero, gravius me incipiat accusare, si pietatem ipsa me convicerit abnegasse.

3. Omnino, fratres, verendum est mihi, an vero et vobis ipsis, vos videritis, ne ad nos praecipue spectet ille sermo qui per Apostolum prophetatus est de temporibus novissimis; ubi, cum malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifeste legi potest in vita et moribus eorum, longum tandem sic conclusit malorum catalogum: *Habentes, inquit, speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim. III, 5*). Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut haec quam pretendimus, humilitas tonsurae et habitus, parcimonia cibi et potus, labor fere continuus, et ordinatissimus per omnia vivendi modus? Caeterum de virtute ipsa pietatis, quam haec species exterior promittit, quam prope nihil in me meique similibus valeat inveniri, pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quae est enim virtus pietatis, nisi charitatis non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earumque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro, fratres, relinquimus iudicio; de me siquidem ingenue confiteor, quia nomina quidem earum scio, saporem adhuc ignoro. Merito itaque pudorem mihi pariter et timorem incutit habitus quem gero religionis, cui fere nullum suffragatur testimonium virtutis. Nunquid enim tuto mihi possum usurpare monachi nomen et honorem, cujus non habeo meritum et virtutem; cum, sicut ante nos dictum est, simulata sanctitas duplicata sit iniquitas, (*Aug. in psal. LXIII*); et lupus sub ovina pelle deprehensus graviore sit sententia percellendus? Propterea vos quoque, fratres, ut tuto gloriari possitis, in hac, qua corpora vestra decorata sunt, specie pietatis, ponite corda vestra in virtute ejus; ut species in corporibus, virtus in cordibus, probatos vos exhibeant tam angelis quam hominibus, sitque, sicut scriptum est: *Omnes qui viderint eos cognoscent illos quia isti sunt semen cui benedixit Dominus* (*Isa. LXI, 9*).

4. Haec est, fratres, christianae fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Ut enim mysterium fidei, quod hodie nobis mystica commendaverunt Magorum munera, fideliter et digne conservaremus immaculatum in conscientia pura, hodie itidem **913** Christus baptizatus, non sibi sed nobis, *Aspersit*, sicut Apostolus ait, *corda a conscientia mala, et abluit corpora aqua munda* (*Hebr. x. 22*). Quam felix, o fratres, anima illa,

quae sic lota in salutem, mox e vestigio secuta est Salvatore, ut deinceps adhaerens ei cum Apostolis, illam meruit audire vocem: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus!* (*Joan. XIII, 10*). Caeterum qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? (*Eccli. XXXIV, 30*). Ego postquam Baptismo lotus fui, non unum mortuum, sed tot mortuos quot opera mortis, tetigi; et, juxta Petrum apostolum, contigit mihi illud veri proverbii, *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luli* (*II Petr. II, 4*). Quid igitur faciam? quibus ulterius aquis sordes tantas diluam? Audio quia sicut una fides, sic unum Baptisma est, nec secundo Baptismati locus est, quoniam quicumque baptizatur, in morte Christi baptizatur; qui sicut semel mortuus est, sic et semel baptizatus est, ut et nobis unicus modum et formam Baptismatis praescriberet. Diffiderem forsitan ulterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem, inter alias Scripturae consolationes, etiam fidele consilium Elisei, etiamsi totus instar Naaman Syri lepra sim perfusus, ac vetero incurabili possessus. *Vade, inquit, et lavare septies in Jordane, et mundaberis*. Si dixisset, Lavare ter, mundaberis, continuo intellexissem trinam mersionem qua inundantur baptizati, dicereque totum illud miraculum gratiam prophetare Baptismatis, ut jam tunc Jordanis de virtute Dominici Baptismi cepisset ad salutem gentium operari. Nunc autem cum signanter dicat, *lavare septies in Jordane*, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Jordanis ille? Jordanis, ut aiunt, interpretatur *Descensus eorum*. Quorum? Horum utique qui humiliantur ad poenitentiam, qui nimirum quanto profundius descendunt per gradus humilitatis, tanto se penitius mergunt et plenius abluunt spiritualis alveo Jordanis.

5. Ad me ipsum, o Deus, conturbata est anima mea, memor peccatorum suorum; propterea memor ero tui de terra Jordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis mundaveris Naaman leprosum. *Descendit, inquit, et lavit septies in Jordane, iuxta sermonem viri Dei, et mundatus est*. Descende et tu, o anima mea, de curru superbiae in salubres aquas Jordanis, qui de fonte domus David, toto jam profluit orbe in ablutionem peccatoris et menstruae. Haec est nimirum humilitas poenitendi, quae, de domo pariter et exemplo profluens Christi, toto jam praedicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos, Naaman Syri: non enim unus, sed innumeri: o, inquam, divites, sed leprosi; superbi, sed aeterni; quare tam vehementer abhorretis lavari his medicinalibus aquis? cur vobis ita viluit noster iste Jordanis praefluvis Damasci? Dicitis enim, si forte quaerentibus aliquando consilium salutis imitanda praedicetur humilitas et paupertas Christi: *Nunquid non meliores sunt fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder?* (*IV Reg. v. 10, 14, 12*). Nunquid non est

melius, et ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quam semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi, Naaman. Fluvium Damascenum absorbebit Leviathan, et non mirabitur; nam de Jordane si habeat fiduciam quod influat in os ejus (*Job XI, 18*), spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscunque, praeter humilitatem christianam, virtutibus affluas: cum etiam pauperes Christi devorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiat. Damascus secunduam nomen suum, *Civitas sanguinis* est, et aquae ejus sanguine mistae sunt; quia opera etiam bona carnalium et saecularium, vix a quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguine, sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum est curabit? At Jordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi.

6. Audi saltem, o Naaman, domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios. Naamen cedecebat indignans adversum virum Dei, quem consuluerat; at illi, *Pater*, inquit, *etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras*. Fidele prorsus verbum, rationis et **914** sapientiae plenum; quippe suggestio est rationalium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit adversus hominem ipsum. *Pater*, inquit, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras*. Non credere namque Prophetae, Dei est injuria: non tentare omnia pro salute, odium est sui ipsius et invidia. Quid enim grande esse potest in praeepto, ubi salus est in promisso? Quanto magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Jesu quia mitis est et humilis corde, cum in eo pariter inveniat et requies animae, et praesens medela spiritualis leprae, pignusque salutis aeternae? Tandem vix aegreque obtinetur a superbo peccatore ut descendat in Jordanem et lavet; si tamen septies lavat, totumque se plenius et saepius mergat, non moratur effectus salutis fidem propheticam facere sermoni. Sed, prohi dolor! quanta est hujus nostri miseria temporis! quia non solum divites, sed etiam pauperes leprosi, ita inveniuntur delicati, ut vix usque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel laverint, mox sibi plenissime videantur mundati.

7. Et Elisaeus non ita sentit, sed signanter exprimit, *Septies lavare, et mundaberis*. Sciebat nimirum humilitatem Christi, quae nobis imitanda est, si perfecte volumus mundari, septemplex esse virtutis. Prima virtus, quod cum dives esset, pauper factus est. Secunda, quod paupertate extrematatem adjiciens, in praesepe positus est. Tertia, quod Matri subditus. Quarta, quod servi manibus hodie inclinavit caput. Quinta, quod discipulum urem tulit et proditorem. Sexta, quod sic fuit mansuetus ante iniquum judicem. Septima, quod